

tor aegrotus existens, mag. Fox, archidiaconum Leicestr. et mag. Bell, archidiac. Gloucestr. consensu domus superioris in suum substituit locum. Sequenti die (April. 4.) episcopi Winton. et Exon. expresse consenserunt conclusioni canonistarum; sed episcopus Bath. et Wellen. dissentiit. Quinto die Aprilis reverendissimus cum mag. Fox, prolocutore, habuit communicationem de computo reddendo de subsidio regio. Deinde statim comparuit Joh. Tregunwell, LL. D. consiliarius regis, "et ex parte et nomine dicti illustrissimi principis, et nobilium, ac procerum hujus sui regni allegavit, quod quaedam quaestiones dictum dominum nostrum regem et exonerationem conscientiae illius concernentes, in hac convocazione propositae fuerunt, ut assertiones et opiniones praelatorum, et cleri in hac convocazione praesentium desuper haberentur; et quod dictus illustrissimus rex ex fide dignorum relatione accepit, quod hujusmodi assertiones et opiniones tam praelatorum quam cleri sunt apud acta hujus convocationis declarata, et ideo ex parte re-

gis requirebat, quatenus ipse dignaretur mandare et praecipere notariis hujus convocationis acta originalia, in eadem convocazione facta et habita scrutari, ac de et super compertis in iisdem unum vel plura instrumentum vel instrumenta, de et super opinionibus et assertionibus praelatorum et cleri, quoad quaestiones in hac convocazione propositas, demandaret conficere, et in publicam formam redigere," quod et factum est.

Deinde post continuationem convocationis de die 7. ad 8. Aprilis, breve regium exhibebatur reverendissimo per D. Clayborne, de proroganda convocazione ad 7. Junii. Deinde intravit domum capitularem mag. Fox cum clero, qui petierunt computum fieri; ad quam petitionem reverendissimus decrevit computum fieri per episcopum London. Per aliud deinde breve regium convocatio ad 4. Novembris, et ab eo die ad 30. Januarii fuit prorogata: et sic per varias alias prorogationes convocatio continuabatur usque ad ultimam diem Martii anni sequentis.

Papae Rom.  
CLEMENT. VII. IO.

Archiep. Cant.  
Tho. CRANMER I.

Anno Christi  
1533.

Reg. Angliae  
HENRIC. VIII. 24.

*Thomae archiepiscopi Cantuar. protestatio contra jurisdictionem papae Romani.*  
Strype's life of archbishop Cranmer, append. num. v. p. 9.

**I**N Dei nomine, Amen. Coram vobis autentica persona et testibus fide dignis, hic praesentibus, ego Thomas, in Cantuar. archiepiscopus electus, dico, allego, et in hiis scriptis palam et publice, et expresse protestor; quod cum juramentum sive juramenta ab electis in Cantuar. archiepiscopos summo pontifici praestari solita, me ante meam consecrationem aut tempore ejusdem pro forma potius, quam pro esse, aut re obligatoria ad illam obtinendam oporteat, non est, nec erit meae voluntatis, aut intentionis, per hujusmodi juramentum vel juramenta, qualitercunque verba in ipsis posita sonare videbuntur, me obligare ad aliquod ratione eorundem posthac dicend. faciend. aut attemptand. quod erit aut esse videbitur contra legem Dei, vel contra illustrissimum regem nostrum Angliae, aut rempublicam hujus sui regni Angliae, legesve aut praerogativas ejusdem, et quod non intendo per hujusmodi juramentum aut juramenta quovismodo me obligare, quominus libere loqui, consulere, et consentire valeam in omnibus, in singulis reformationem religionis christianae, gubernationem ecclesiae Anglicanae, aut praerogativam coronae ejusdem, rei-

publicaeve commoditatem quoquomodo concernentibus, et ea ubique exequi et reformare, quae mihi in ecclesia Anglicana reformanda videbuntur. Et secundum hanc interpretationem et intellectum hunc, et non aliter, neque alio modo, dicta juramenta me praestitutum protestor et profiteor. Protestorque insuper, quodcunque juramentum sit, quod meus procurator summo pontifici meo nomine antehac praestiterit, quod non erat intentionis aut voluntatis meae, sibi aliquam dare potestatem, cujus vigore aliquod juramentum meo nomine praestare potuerit, contrarium aut repugnans juramento per me praestito aut in posterum praestando praefato illustrissimo Angliae regi. Et casu quod aliquid tale contrarium aut repugnans juramentum meo nomine praestitit, protestor quod illud, me inficio, et absque mea auctoritate praestitum, pro nullo et invalido esse volo. Quas protestationes in omnibus clausulis et sententiis, dictorum juramentorum repetitas, et recitatas, volo; a quibus per aliquod meum factum vel dictum quovismodo recedere non intendo, nec recedam; sed eas mihi semper salvas esse volo.

*Determinationis praelatorum et cleri Cantuar. provinciae in convocazione de duabus quaestionibus instrumentum publicum.* Ex autographo apud Foeder. Rymer vol. xiv. p. 454.

**I**N Dei nomine, Amen. Per praesentis publici instrumenti seriem cunctis, et praesertim invictissimo, metuendissimo, ac potentissimo principi et domino nostro supremo, Henrico octavo, Dei gratia Angliae et Franciae regi, fidei defensori, et domino Hiberniae illustrissimo,  
VOL. III.

caeterisque sui regni nobilibus et proceribus appareat evidenter, et sit notum, quod anno Domini M. D. xxxiii. indictione sexta, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Clementis, divina providentia illius nominis papae septimi, anno decimo, mensis  
9 G vero



vero Aprilis die quinto, in domo capitulari ecclesiae cathedralis divi Pauli Londoniae, in notariorum nostrorum publicorum et testium inferius nominatorum praesentibus, coram reverendissimo in Christo patre et domino, domino Thoma, permissione divina Cantuariensi archiepiscopo, totius Angliae primate, et apostolicae sedis legato, praelatisque et clero provinciae Cantuariensis, tunc et ibidem in convocacione praelatorum et cleri dictae Cantuariensis provinciae, in praedicta domo capitulari congregatis, et personaliter praesentibus, comparuit personaliter egregius vir magister Johannes Tregunwell, legum doctor, a consiliis dicti domini nostri regis, ac nomine ejusdem nobiliumque et procerum dicti regni Angliae eundem reverendissimum patrem ad mandatum illius illustrissimi principis, ut asseruit, requisivit, quatenus nobis, notariis publicis infra scriptis, mandaret et praeciperet, quod acta originalia in eadem convocacione habita, et facta scrutaremur, et instrumentum vel instrumenta publicum seu publica, de et super compertis in actis originalibus ejusdem convocacionis de et super assertionibus et opinionibus dictorum praelatorum et cleri quoad quaestiones infra scriptas conficere-mus. Ad cujus petitionem dictus reverendissimus pater, dominus Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, juxta et secundum requisitionem, ex parte ejusdem invictissimi principis, et dictorum nobilium et procerum, ut praefertur, factam, nobis notariis publicis subscriptis mandavit et praecipit in praelatorum et cleri ejusdem convocacionis, tunc et ibidem existentium praesentia, nemine eorum reluctante, dissensiente, aut contradicente, quatenus acta originalia hujusmodi diligenter et fideliter scrutaremur, ac de et super compertis in eisdem actis originalibus unum vel plura, publicum vel publica instrumentum sive instrumenta conficeremus. Quare nos notarii publici subscripti mandatis dicti reverendissimi patris obtemperare volentes, acta originalia in dicta convocacione nobis praesentibus habita et facta scrutavimus, et per illud scrutinium comperimus et invenimus, quod nuper in dicta convocacione provinciali praelatorum et cleri provinciae Cantuariensis, in domo capitulari ecclesiae cathedralis divi Pauli Londoniae praenominata, quinto die mensis Novembris, anno Domini M. D. XXIX. inchoata, et de diebus in dies haecenus continuata et prorogata, propositae fuerunt duae quaestiones; quarum unius decisio et determinatio spectat ad theologos, alterius vero ad canonistas et jurisconsultos, ut praelati et clerus antedicti easdem quaestiones cum matura deliberatione pro veritate in hac parte eruenda et habenda, quatenus ad eorum facultates respective attineret, diligenter examinarent, et opiniones suas, quid ipsi de et super eisdem sentirent, ostenderent et declararent.

Prima vero quaestio ad theologos pertinens talis est; "An ducere uxorem cognitam a fratre decedente sine prole, sit prohibitio juris divini indispensabilis a papa"? Ad quam post nonnulla argumenta et disputationes hincinde per praelatos et clerum praedictos diversis et separa-

tis diebus habita, et facta, praelati et clerus antedicti, existentes theologo in numero sexaginta sex, personaliter tunc ibidem praesentes, habentes etiam procuratoria episcoporum, abbatum, et aliorum praelatorum, ac clericorum absentium ad numerum CXCVII. quibusdam in numero novemdecem duntaxat exceptis, asseruerunt, casum hujusmodi de jure divino esse indispensabilem per papam, prout ex actis originalibus in registro dictae convocacionis remanentibus plenius liquet. Secunda vero quaestio ad canonistas et jurisconsultos pertinens est haec; "An carnalis copula inter illustrissimum principem Arthurum et serenissimam dominam Catharinam reginam, ex propositis, exhibitis, deductis, et allegatis sit sufficienter probata"? Ad quam praelati et clerus, canonistae, et jurisconsulti personaliter in dicta convocacione praesentes, et numerum quadraginta quatuor facientes, quorum unus etiam habuit procuratoria pro tribus episcopis tunc absentibus, quinque aut sex duntaxat exceptis, affirmarunt se sentire, ex propositis et exhibitis coram eis in convocacione praedicta carnalem copulam inter dictum illustrissimum principem Arthurum et serenissimam dominam Catharinam fuisse, et esse sufficienter probatam. Prout ex actis originalibus in eadem convocacione, et nobis notariis publicis subscriptis praesentibus habitis et factis manifeste liquet et apparet. Super quibus omnibus et singulis praedictis egregius vir magister Johannes Tregunwell, nomine, quo supra, nos notarios publicos subscriptos, unum vel plura, publicum seu publica instrumentum sive instrumenta exinde conficere requisivit. Acta fuerunt haec omnia et singula, prout supra scribuntur et recitantur, sub anno Domini, indictione, pontificatu, mense, die, et loco praedictis. Praesentibus tunc ibidem magistris Willielmo Bretteyn, utriusque juris, et Johanne Barbour, legum doctoribus, restibus ad praemissa vocatis specialiter, et rogatis.

Et ego Willielmus Potkyn, clericus Cantuariensis dioecesis, publicus auctoritate apostolica notarius, quia requisitioni et petitioni dicti egregii viri magistri Johannis Tregunwell, supradictique reverendissimi patris mandato et praeecepto, necnon actorum originalium, de quibus superius fit mentio, scrutinio, caeterisque praemissis, dum sic, ut praemittitur, sub anno Domini, indictione, pontificatu, mense, die, et loco praedictis agebantur, et fiebant, una cum praenominatis testibus, qui tempore requisitionis et petitionis praesentes fuerunt, praesens personaliter interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi, audivi, et inactavi; ideo hoc praesens publicum instrumentum manu alterius, me aliunde occupato, scriptum, exindeque confectum subscripsi, publicavi, et in hanc publicam formam redegi, et signo et nomine meis solitis et consuetis signavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium praemissorum.

Et ego Johannes Heryng, Herefordensis dioecesis, auctoritate apostolica notarius, quia requisitioni et petitioni dicti egregii viri magistri Johannis Tregunwell, supradictique reverendissimi patris



## DETERMINAT. IN CONVOC. DE DUABUS QUAESTIONIBUS. 759

patris mandato et praecepto, necnon actorum originalium, de quibus superius fit mentio, scrutinio, caeterisque praemissis, dum sic, ut praemittitur, etc.

Et ego Thomas Argall, Wintoniensis dioecesis, publicus auctoritate apostolica notarius, quia, etc.

Papae Rom.  
CLEMENT. VII. IO.

Archiep. Cant.  
THO. CRANMER I.

Anno Christi  
1533.

Reg. Angliae  
HENRIC. VIII. 25.

*Sententia divortii matrimonii inter Henr. VIII. et Catharinam. Anno incarnationis millesimo quingentesimo tricesimo tertio, indictione sexta, Clementis papae septimi decimo, mensis Maii vicesimo tertio, in ecclesia conventuali monasterii sancti Petri Dunstabiliae, ordinis sancti Augustini Lincoln. dioecesis nostrae Cantuar. provinciae. Ex rot. Pat. 25 Henr. VIII. p. 2. apud Burnet. Hist. reform. vol. I. app. p. 120.*

**I**N Dei nomine, Amen. Nos Thomas, permissioe divina Cantuar. archiepiscopus, totius Angliae primas, et apostolicae sedis legatus, in quadam causa inquisitionis de et super viribus matrimonii inter illustrissimum et potentissimum principem et dominum nostrum Henricum octavum, Dei gratia Angliae et Franciae regem, fidei defensorem, et dominum Hiberniae, ac serenissimam dominam Catharinam, nobilis memoriae Ferdinandi Hispaniarum regis filiam, contracti et consummati, quae coram nobis in iudicio ex officio nostro mero aliquamdiu vertebatur, et adhuc vertitur et pendet indecisa, rite et legitime procedentes; visis primitus per nos et diligenter inspectis articulis, sive capitulis in dicta causa objectis, administratis una cum responsis eis, ex parte dicti illustrissimi et potentissimi principis Henrici octavi factis et redditis; visisque et similiter per nos inspectis plurimorum nobilium et aliorum testimonium fide dignorum dictis et depositionibus, in eadem causa habitis et factis; visisque praeterea et similiter per nos inspectis, quamplurimum fere totius christiani orbis principalium academiarum censuris, seu conclusionibus magistralibus etiam tam theologorum quam jurisperitorum responsis, et opinionibus, utriusque denique provinciae Anglicanae conciliorum provincialium assertionibus et affirmationibus, aliisque salutaribus monitis et doctrinis super dicto matrimonio desuper respective habitis et factis; visisque ulterius et pari modo per nos inspectis, pactis seu foederibus pacis et amicitiae inter perennis famae Henricum septimum, nuper regem Angliae, et dictum nobilis memoriae Ferdinandum, nuper regem Hispaniae, desuper initis et factis: visis quoque per amplius et diligenter per nos inspectis omnibus et singulis actis, actitatis, literis, processibus, instrumentis, scripturis, monumentis, rebusque aliis universis, in dicta causa quomodolibet gestis et factis, ac aliis omnibus et singulis, per nos visis et inspectis, atque a nobis cum diligentia et maturitate ponderatis et recensitis, servatisque ulterius per nos in hac parte de jure servandis; necnon partibus praedictis, videlicet praefato illustrissimo et potentissimo principi Henrico octavo, per ejus procuratorem idoneum coram nobis in dicta causa legitime comparente; dicta vero serenissima domina Catharina per contumaciam ab-

sente, cujus absentia divina repleatur praesentia, de consilio jurisperitorum et theologorum, cum quibus in hac parte communicavimus, ad sententiam nostram diffinitivam sive finale decretum nostrum in dicta causa ferendam, sive ferendum, sic duximus procedendum, et procedimus in hunc modum. Quia per acta, actitata, deducta, proposita, exhibita, et allegata, probata pariter et confessata, articulataque capitulata, partis responsa, testimonium depositiones; et dicta instrumenta, monumenta, literas, scripturas, censuras, conclusiones, magistras opiniones, consilia, assertiones, affirmationes, tractatus, et foedera pacis, processus, res alias, et caetera praemissa coram nobis in dicta causa respective habita, gesta, facta, exhibita, et producta, necnon ex eisdem et diversis aliis ex causis, et considerationibus, argumentisque et probationum generibus variis et multiplicibus, validis quidem et efficacibus, quibus animum nostrum hac in parte ad plenum informavimus, plene et evidenter invenimus et comperimus dictum matrimonium inter praefatos, illustrissimum et potentissimum principem, et dominum nostrum Henricum octavum, et serenissimam dominam Catharinam, ut praemittitur contractum et consummatum, nullum et omnino invalidum fuisse et esse, et divino jure prohibente contractum et consummatum extitisse. Idcirco nos Thomas, archiepiscopus, primas, et legatus antedictus, Christi nomine primitus invocato, ac solum Deum prae oculis nostris habentes, pro nullitate et invaliditate dicti matrimonii pronunciamus, decernimus, et declaramus, ipsumque praetensum matrimonium fuisse et esse nullum et invalidum, ac divino jure prohibente contractum et consummatum, nulliusque valoris aut momenti esse; sed viribus et firmitate juris caruisse et carere, praefatoque illustrissimo et potentissimo principi Henrico octavo, et serenissimae dominae Catharinae non licere in eodem praetenso matrimonio remanere; et pronunciamus, decernimus, et declaramus, ipsosque illustrissimum et potentissimum principem Henricum octavum et serenissimam dominam Catharinam, quatenus de facto et non de jure dictum praetensum matrimonium adinvicem contraxerunt, et consummarunt, abinvicem separamus et divorciamus; atque sic separatos et divorciatos, necnon ab omni vinculo matrimoniali